



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

XIII. Der Pfarrer zu Burg erlaubt dem heil. Geist-Hospitale daselbst einen eignen Geistlichen zu halten, am 21. Januar 1307.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XIII. Der Pfarrer zu Burg erlaubt dem heil. Geist-Hospitale daselbst einen eignen Geistlichen zu halten, am 21. Januar 1307.

Guntherus de Swalenberch, thesaurarius Magdeburgenfis ecclesie et plebanus ecclesie in Borch, Omnibus praesens scriptum visuris et auditoris salutem in eo qui est omnium vera salus. Ad firmandam rei geste memoriam ad scripture testimonium recurritur, ut est moris, tractatibus in plerisque. Hinc est quod notum esse volumus vniuersis christi fidelibus tam presentis temporis quam futuri, Quod ad profectum animarum et perpetue salutis remedium hospitali sancti Spiritus in Burch, accedente consensu venerabilis in christo patris, domini nostri hinrici, sancte Magdeburgenfis ecclesie Archiepiscopi, concedendum duximus et indulgendum, ut procuratores eiusdem hospitalis sacerdotem assumant, qui cottidie in ipso hospitali celebret diuina officia in solatium infirmorum, Ita tamen, quod idem sacerdos oblationes, que sibi ad manus uel ad altare offeruntur, plebano ecclesie, qui pro tempore fuerit, uel eius vices gerenti integraliter presentabit, saluo tamen in omnibus parochialis ecclesie suo iure. Nos quoque hinricus, sancte Magdeburgenfis ecclesie archiepiscopus, concessionem huius intuitu pietatis factam ratificamus et presentibus confirmamus et volumus, ut ab omnibus plebanis loci, qui pro tempore fuerint, perpetuis temporibus inuolabiliter obseruetur. In huius concessionis signum et testimonium nostrum sigillum presentibus est annexum. Nos eciam Guntherus de Swalenberch huic littere sigillum nostrum similiter duximus apponendum. Testes huius rei sunt Geuehardus de Lindowe archidiaconus in banno Calue, Otto de brezna cellerarius, Geuehardus de Querenvorde, Siffridus de anhalt camerarius, nostre ecclesie canonici, Henningus de bardeleue, thilo marfealeus, heino de Rodense, Johannes de louborch dictus borgrauius, milites et quamplures alii fide digni. Actum et datum Magdeburch, Anno domini MCCCVII<sup>o</sup>, in die beate agnetis virginis.

Nach dem Originale des Stadarchives zu Burg Nr. 51.

XIV. Der Rath zu Sandow verpfändet dem heiligen Nicolaus daselbst vier Buden und eine Wiese, am 6. Juni 1308.

Nos Consules Civitatis Sandow, omnibus Christi fidelibus, ad quos praesens scriptum pervenerit, in vero salutari salutem. Quoniam omnium habere memoriam potius est divinitatis quam humanitatis, conscribi fecimus, quae coram nobis aguntur, ne oblivioni tradantur. Notum igitur esse volumus omnibus praesentibus et futuris, praesens scriptum inspecturis, quod nos S. Nicolao in Sandow IV bodas penelicorum atque terram et pratam dictum in Teutonico Wiese, domui leproforum praedictae civitatis adjacentes, quando ipsa terra et ipsum pratam ab his qui convenerant abfolvantur, cum omni censu et fructu pro XLV marcis Brandenb. argenti, in quibus ipsi tenemur, obligamus ad tempus, in quo tale argentum persolvatur. Si autem praedictae penelicorem bodae ab infortunio comburentur, non a pecunia S. Nicolai sed Civitatis deberent reaedificari. Ut autem hoc firmum et inconvulsam permaneat, nos super id scriptum nostrum dedimus, et illud sigilli nostri appensione fecimus communiti. Testes huius facti sunt, qui tunc temporis in praenominata Civitate